DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. MARTII.

M. BARTHOLOMÆO BARALIS, Doctore Medico Regio, Præside.

An Carnes Piscibus salubriores? 1050

QVONIAM eâ conditione natus est homo, vt terrenæ quâ constat substantiæ iacturam perpetuò faciat, natiuique succi numquam non decedat aliquid; ne vires corpusque amitteret, necesse fuit iugem hanc ruinam sarciret cibi potionisque adminiculo, quæ non tantùm secundæ valetudinis, sed & morborum omnium communia præsidia sunt: & quidem tanti ad vitam momenti, vt medicamentorum & Chirurgiæ vices plerumque impleant, & absque his multi tenuem vitreamque valetudinem frugalitate ac diligentiâ tueantur. Quemadmodum autem dextrò illorum vsu fulcitur corpus, ita prauo euertitur; ac tum quæ famis, sitis, ipsiusque adeò mortis remedia erant, alio ipsa indigent remedio. Quô igitur fons omnis veræ voluptatis sanitas, ex quatuor omnia gignentium corporum bellè inter se congruentium temperatione profecta, diutiùs perseueret vel à prima ætate firmum eius retinendæ iaciendum est fundamentum: neque enim tam ingenerantur mores à stirpe generis & seminis, quàm ex his quibus alimur. Propterea cautè videndum, ne ex libidine, sed ex ratione viuamus. Quotus quisque verò est qui hac duce & moderatrice in alimentorum vsu delectuque sic modum tenet, vt non pessimo victus genere sanitati sæpè decoxerit. Equidem fruges, fructus, baccas, pecudes, & tantam rerum quæ gignuntur vbertatem ad hominum commoditates natura consultò largita est; sed ita, ne temerè liguriant omnia, nec tam eorum vsu sint, quàm temperantiâ læti.

NVLLA res ad alendum accommodata est, quæ vitâ caruerit: viuentium verò genera tria sunt, ex quibus in vniuersum peti possunt cibaria; plantæ, animalia, & ex quo horumvtrumque fit, semen: ob hocque fructus; vt porrò magna sit ciborum ex specie diuersitas, eorum tamen ex viribus æstimatorum longè plura sunt discrimina, non in speciebus tantummodò, sed in singulis quoque: quod ætate fit, & membro, & cœlo, & solo, & habitu. Reuerà quidquid vinci & in corporis nostri substantiam verti potest, alimenti nomine continetur: at non statim quidquid in hoc censu est, esse oportet promiscuè. Est quod cibo fugaci sat bellè reficitur corpus, est quod nonnisi valentissimo sustinetur: in cibis mali succi vis ad morbum maxima, ex imbecillioribus vita breuior, quò majus quodque animal, eò constantior ex eo cibus, quin etsi paribus paria referas, quæ ex animantibus præstantiorem degunt vitam salubrius nobis suppeditant alimentum. Quare in tanta varietate refert scire quodnam requirat humana fragilitas. Conuenientissimum his ex notis intelliges, quòd & modum substantiæ commodum nactum sit, non rebellem, & plurimum habet vtilis succi, minimum inutilis: & hominis temperamento simile, seruet mediocritatem in calore & humiditate: neque verò hanc aut solius materiæ, aut temperiei putes esse similitudinem: sed vel formæ, vel horum omnium, vel breuiùs totius substantiæ: alit nos lactuca, alit & vinum, neutrum tamen eamdem nobiscum temperiem obtinet. Id ergo duntaxat amicum & familiare censeto, quòd acceptâ quadam mutatione, facilè in corporis nostri substantiam abit, eiusque molem auget, quòd spiritum quemdam vitæ, caloremque in se continet benignum & consocialem: cuius appulsu partes omnes corporis, nullâ inductâ qualitate alienâ, fouentur & sustentantur.

PISCIVM genus omne, tam ab humanâ, idest ab optimâ recedit temperie, vt non mirum sit iis olim cùm in sacrificiis quibus meliora quæque deligebantur, tum Sacerdotibus Ægyptiis, ne eorum mentes tetri alimenti vligine obnubilarentur, fuisse interdictum, omninòque salutare videatur illud Sapientis dictum, ἰχθύων μὴ γεύεσθαι. Quando enim nec communem velut cæteræ animantes nobiscum regionem habent, nec eum ferre possunt quem ducimus & quo viuimus aërem, ex ipsâque, & in ipsâ seu fluuiorum, seu maris (quam nullus homo impunè potet) aquâ à naturâ nostrâ alienissimâ creati sunt, ferèque pessimo pabulo nutriuntur pisces, siue ἔναιμοι imi inter sanguinea ordinis, siue ἄναιμοι, minus profectò idonei sunt, qui cum nostro sanguine & spiritu misceantur. Hoc nisi sat tibi persuadet ratio, adhibe in consilium sensus; illos intuere, muco vndique oblitos dixeris: eosdem si olfeceris, quæ fuga, quæ narium obturatio, quæ execratio; quid ad eorum molestum odorem putoremque conferas? Tactu etiam quàm molles sint, quàm nihil habeant solidi; gustu denique, quàm fatui sint, deprehendes. Planè vt radices quia in terram infixæ numquam perflantur, superuacaneâ humiditate circumfluunt: sic pisces eius in quo versantur elementi impensiùs frigidi & humidi naturam induant, necesse est. Possunt quidem mistionis lenocinio ita palato commendari, vt iis arrideant quibus placiturum potius est profuturo; at numquam emendari, vt ne plurimum noceant, inimicasque exuant qualitates: imò culinario quouis mangonio deteriores fiunt: quacumque arte paraueris, pestiferum est quod comedis: non si aromatis (peregrinitate & pretio magis, quàm vtilitate æstimatis & viscera siccâ tabe vsturis) condiantur, vllum inde bonum sperandum conjugium. Quid enim aliud quàm malæ rei pessimam addideris? quâ tamen ad gulæ irritamenta abutuntur piscinarum Tritones, & quibus totus labor in ore suo est. Malè perdit omnia, qui sine Religione miscet μὴ ὁμόφυλα.

PRIMI, & adeo recentes homines frugibus, fructibus, & his quas pascua porrigebant carnibus victitarunt, minimè piscibus quos ipsa celabat aqua: abstinuére similiter qui ab his sapientes meritò audiere. Ipse hominum caput Christus esuriem: at non ἰχθυοφαγίας ieiunando nos docuit; sed & qui omnium primi in secessu, & μόνοι ἐν ἄχει penè vltra fusum vixere pij, valdéque Christiani viri, non secus ac olim consultissimi Vlyssis socij, neque hamo, neque retibus vsi sunt, dum farina suppeteret. Postquam verò inclinatis moribus, impetratâque in perniciem tot ciborum veniâ, propè Siculis dapibus instructæ sunt sacrorum, nec satis sic esurialium dierum mensæ. Quo major hac seculorum lue succreuit luxus, hoc quoque major incubuit morborum cohors. Quid enim non malorum à piscibus? hos vt accepit ventriculus, quam acrem ferèque vanâ spe victoriæ pugnam cum iis ineat, plus satis renuntiant eius tensio, amarulentum os, sitis permolesta, ructus, flatus, nausea, interdùm & vomitus, quo nisi indomitus inquinatusque cibus rejicitur, deportatus tandem ad iecur, ab eoque in venas omnes; mera fit sanies, bonos succos vbique corruptura: inde pisculenti homines, vultuosi & squalidi, qualesque sunt ipsi pisces, pallent, olent, stupent, muti sunt. Inde etiam apoplexiæ, paralyses, catarrhi, tusses, febres, diarrhœæ, arthritides, calculi: quin & corpus impurum pessimisque infectum humoribus contagio quodam spurcas sordes affricat animæ: quæ perinde ac nauis nimio saburræ pondere depressa subsidit, vliginosoque alimento grauata ὑπέραντλος γίνεται, tumque animi splendor, ac lumen omne perstringitur, princeps pars eius ratio obliteratur, subit obliuio, morsque memoriæ.

ELEGANS igitur homo qui in tranquillo valetudinis portu stare semper cupiat κρεωφάγης ἔστω καὶ ἄπιχθυς: salsamenta fossoribus & bajulis, etiam inter densissimos in victu errores euecticis relinquat, pisces vel κυματοπληγεῖς ipsumque, qui integros bufones deglutit, Lucium non attingat: neque si vmbræ plebeiæ porro betâve pascuntur aut salillum illingunt, iisdem vescatur; sed recentibus & scitè delectis carnibus, quibus certè inest quidquid, & ad palati gratiam, & ad succi bonitatem desiderari potest, nempe familiaritate quâdam naturæ, ceterisquedotibus ita mirificè cum corpore nostro consentiunt, vt ob materiæ ἐπιτηδειότητα facillima sit earum commutatio in chylum sanguinemque laudatissimum, quemlibet largiter ac liberaliter alant, suauissimum præbeant succum, sine pluribus excrementis, qui nullo negotio didatur in singulas corporis partes, hoc luculento & sapido rore, quasi iucundissimo nectare recreandas; atque ex eo calor natiuus leuiori penso districtus, suique omnino iuris, lustrat vniuersum corpus, excrementa si quâ alicubi hæreant, statim exturbat, sanguine purissimo rigat, æquabilitérque perfundit partes omnes, quæ eo tinctæ florent, & ruborem in niueo candore gerunt, diffundit & quoquoversum lucidos illustresque spiritus, ad omnem actionem alacriter obeundam præstò vbique futuros. Ipsa denique mens, meliusculè habito, sicco, & nitente corpore viget fulgetque, velut stella nitido cælo. At vide ne quid nimis: ne optimarum escarum largitate, hâc præsertim anni sese renouantis infantiâ multæ contingant ægritudines. Id sanè voluit, & cum naturâ meditata est sancta Mater Ecclesia, vt carnium per aliquot dies abstinentiâ, animæ maculæ cibo potuque contractæ eluerentur, ieiunioque, quod & aliquid habet cathartici, extenuata, & succis insalubribus repurgata corpora, nouis repubescerent. Idcircóne verò piscibus venenanda, quò sacræ Quadragesimæ beneficium consequamur? Haudquaquam certè: parcis quidem sed & puris victibus expedita corda, infusum meliùs Deum receptant.

Ergo Carnes Piscibus salubriores.


F.M.P. BIBLIOTHEQUE

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS DE LA CHAMBRE Senomanus, A. R. S. H. M. DC. LV.